



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XC. Reflexio salutaris ad proximæ dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

perans est. Vel 3^o. faciendo ut peccatores non intelligant bonos Doctores veta docentes, juxta illud Isa. 29. *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati; quem cum dederint scienti literas, dicent, lege istum. Et respondebit: non possum; signatus est enim, &c.*

1103 Objicies 16^o. Si vera sit regula nostra 13. & 14., vita nostra obnoxia erit innumerabilibus anxietatibus, & scrupulis.

Respondeo 1^o. negando antecedens. Quia regula nostra nihil tradit, nisi quod ab ipsismet Probabilistis & Probabilioristis, & ab omnibus mortalibus sine scrupulo & anxietate in omni servatur negotiorum genere, ut vidimus n. 1077.

1104 2^o. cur vita nostra potius exposita est innumerabilibus scrupulis, ex hoc quod ubi agitur de lege naturali, abstinendum sit ab omni eo, in quo justus nobis inest, vel inesse debet timor peccandi contra illam, si abstinere absque simili periculo possumus, quam ubi agitur de quocumque negotiorum humanorum genere, in quo prudentes abstinere ab eo, in quo justus ipsis timor inest, vel inesse debet incurrendi damni temporalis? Si scrupulosi non fuerint Sancti, qui divinam offensam, illiusque periculum metuebant, etiam in iis in quibus nec Probabilistæ, nec Probabilioristæ ullum agnoscunt illius periculum: quam ob causam Theologi, Concionatores & animarum Directores dicendi sunt materiam præbere scrupulorum fidelibus, proponendo exempla illa Sanctorum? Profecto si à fidelium cordibus amovendus esset justus timor mali, Scriptura non diceret Prov. 14. 16. *Sapientis timet, & declinat à malo; stultus transiit, & confidit.* Et cap. 28. 14. *Beatus homo qui semper est pavidus, &c.* Sanè non video (inquit Charlasius) quâ ratione scrupulis dent ansam, qui docent non licere id facere, quo perfringendam legem Dei naturalem prudenter judices vel timeas, nisi scrupulum appelles præceptum de Deo summè diligendo. Neque enim summa Dei dilectio stare potest cum voluntate faciendi id quod prudenter timeas, vel timere debeas esse contra dilecti voluntatem.

1105 Nec propterea fideles perpetuis cruciabuntur anxietatibus, quasi semper paventes, vel pavere debentes periculum violandæ legis Dei. Quia si utantur adjumentis cap. 83. n. 1044. 1045. 1046. 1047. 1048. 1049. 1050. & 1051. memoratis, confisi divinis promissis, à divina bonitate firmiter sperare debent, quod, per cognitionem veritatis faciendorum, vel omittendorum, ab ejusmodi anxietatibus liberabuntur.

1106 Ad consolationem ipsorum moneri etiam poterunt, quod si quando, post consultationem peritiorum, ex toto non liberentur ab errore & ignorantia; tanta tamen esse poterit diligentia, ab ipsis adhibita ad cognoscendam veritatem, tanta etiam cura adhibendi cætera adminicula cognoscendæ veritatis, ut

Tom. I.

ea quæ superest ipsis culpabilis ignorantia, mortalis non sit, sed venialis, uti dixi libro præcedenti.

CAPUT XC.

Reflexio salutaris ad proximè dicta.

EX ibi dictis prudens Lector mirabitur vitium illud tam commune, quo nimis festinanter inclinatur animus ad assentiendum propositionibus, vel falsis quasi veris, vel incertis quasi certis. Unde hoc, nisi ex eo quod impelluntur amore suarum, vel sui Sodalitii opinionum, quo sic eis adhaerescunt, ut ne audire quidem velint ea quibus fortè ad veritatem revocarentur?

Levissimæ rationes, istis opinionibus faventes, invictissima videntur argumenta. Rationes in contrarium, licet demonstrativæ, si probabiles quidem videntur. Estque istud miseracione dignum, quod hoc vitium in aliis omnes notamus & reprehendimus (inquit Charlasius) in se ferè nemo.

Argumenta, quæ contra Probabilismum deduximus supra, sapientioribus hodie videntur adeò certa & evidentiæ, ut iis cedere debeant universi. Sed iis adeò non cedunt, qui anticipatarum opinionum suarum amore tenentur, vel qui doctrinam regendis suaviter fidelibus, vel suis etiam fortè cupiditatibus magis commodam sequuntur, ut eam sibi eripi nequaquam ferant, veritatisque contra Probabilismum tanto cum splendore radianti, non solum non cedant, sed adhuc Probabilismum suum certò licitum asserere non desinant.

Et mihi ipsi (fateor) adeò certa & convincentia olim visa sunt argumenta sexdecim; pro Probabiliorismo, saltem reformato, sive ex germanis Ethices Christianæ fontibus deprompto, cap. 84. & seqq. adducta, ut saltem pleraque ex ipsis viderentur demonstrativa. Verùm in lege Domini profundius meditantj, remque maturiùs expendenti, sapiùs ac ferventiùs invocato cælesti lumine, tandem visa sunt leviora, efficaciterque per datas ad ea responsiones enervata & soluta; vel hinc ergo intelligamus, vitiosum esse, fallacibus & minùs solidis rationibus ita affici, ut iis defixus animus scire se putet, quod reverà nescit, & non errare, ubi reverà errat. Quod idèò turpissimum Augustinus l. 6. de util. cred. pronuntiat, quod & discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, & per se ipsa temeritas non benè affecti animi est signum. Quod si benè perpendifsent Probabilistæ, tot sapientissimorum Episcoporum censuras contra suam de probabilitate doctrinam non provocassent, nominatim eam, quæ ipsum etiam Probabiliorismum confingere videtur: *Hæc doctrina (ait Illustrissimus Henricus de Gondrin, Archiepiscopus Senonensis) quatenus omnes probabiles opiniones, quæ falsa utique esse possunt (quod etiam probabilioribus convenit) in con-*

Aaaaaa x

scientia tamen tuas asserit; ac proinde cæcis, id est falsam & æternæ legi contrariam regulam sequentibus, immanitatem à peccato, & securitatem spondet, falsa & erronea est: Scriptura contraria, summam humanarum actionum regulam, legem scilicet æternam destruit: divina legis, & Evangelicæ veritatis amorem, & studium extinguit: utriusque necessitatem evanuat, & perniciosam in hominum mentibus securitatem ingenerat.

III Quod censura ista de Probabilismo asserit, per eum destrui primam & summam humanarum actionum regulam, legem scilicet æternam, solidis argumentis ostendimus etiam in Probabiliorismo quadrare. Lex quippe æterna sic est prima summaque actionum humanarum regula, ut Theologi passim omnes cum S. Thoma I. 2. q. 19. a. 4. doceant, rationem humanam non esse regulam voluntatis humanæ, nisi quatenus conformis est legi æternæ. Verum hoc evertitur, si probabilioritas legi æternæ contraria, humanæ voluntatis secuta esse possit regula. Nam excusari poterit, quod lex æterna damnat, & securitatem procurator dare poterit iis quibus non dat supremus Dominus, nec condemnabuntur omnes qui dissonam à lege æterna vitam duxerint; alia quoque erit salutis via, quam divinæ legis custodia; & jam amplius necesse non erit, cum Sanctis orare, *Doce me justificationes tuas; legem pone mihi viam justificationum tuarum: deduc me in semitam mandatorum tuorum: veritatem tuam doce me;* sed solum, *doce me probabilioritatem,* &c. Sed hac de re satis dictum est supra.

C A P U T XCI.

Varia ex præmissis Corollaria derivantur. Primum: Illicitum est in Sacramentis conficiendis, relicta viâ certâ (dum suppetit) extra casum necessitatis sequi opinionem probabilem, vel etiam probabilioris de eorum valore, etiam ubi non periclitatur salus proximi, sed solum valor Sacramenti.

III² **E**X dicendis in præsentî Corollario novum robor accipient quæ in superioribus dicta sunt de illicito usu opinionis etiam probabilioris de licito, saltem in materia juris naturalis. Si enim licitus esset usus opinionis probabilioris de licito; quidni similiter licitus esset usus opinionis probabilioris de valore Sacramenti? An propter periculum nullitatis, cui Sacramentum exponeretur? At si cavere nos oportet periculum nullitatis Sacramenti, & in materia justitiæ, cavere periculum injustitiæ contra proximum, &c. alia ratio non est, nisi quia cavere nos oportet periculum violandæ legis divinæ. Quæ ratio locum habet in omni materia legis naturalis, ubi solum agitur de licito. Tolle enim rationem illam, tam erit licitum, in materia Sacramentorum, justitiæ, &c. sequi opinionem probabilioris, quam in quacumque alia materia juris natura-

lis. Et si in alia materia sequens opinionem probabilioris non exponat se formali & morali periculo violandæ legis æternæ, sed solum materiali & physico; idem pari ratione dici poterit in quacumque alia materia.

Et idèd magis consequenter Medina, Alanus, aliique non pauci apud Ildephonsum Baptistam I. 2. to. 3. disput. 208. n. 770. & Dianam p. 4. tr. 4. resol. 4. & p. 9. tr. 7. resol. 59. licitum esse censent, in Sacramentis conferendis sequi opinionem etiam minùs probabilem, & minùs tutam, non obstante periculo nullitatis Sacramenti. Sed quia usus istius opinionis necdum Sacramentum exponeret periculo nullitatis, sed & proximum periculo damnationis, alii Doctores eandem opinionem limitantes, dixerunt licitum esse usum opinionis probabilis de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi veteret lex, conventio, vel periculum damni gravis; nec proinde usui illi obviare periculum Sacramenti, at salutis proximi dumtaxat. Idèdque ab usu illo solum abstinendum in collatione baptismi, Ordinisque Sacerdotalis, aut Episcopalis: quia nimirum periclitante valore istorum Sacramentorum, salus proximi periclitatur.

Verùm opinionem istam reprobavit, nostramque assertionem probavit Ecclesia, dum per Innocentium XI. damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id veteret lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Et ratio improbandi hanc opinionem est 1^o. quia sicut charitas in proximum vetat, ne extra casum necessitatis Sacramentum exponamus periculo frustrati effectûs; sic religio in Deum (Sacramentorum Authorem) vetat ne, extra casum necessitatis, Sacramentum exponamus periculo frustrati valoris. Et sicut charitas proximi obligat, ut dum non possumus ex toto cavere periculum alienæ salutis, saltem illud caveamus quantum possumus, ita ut proximi salutem minori periculo exponamus, ac fieri potest: sic Sacramenti religio obligat, ut dum ex toto non possumus cavere periculum nullitatis Sacramenti, saltem illud caveamus quantum possumus, ita ut Sacramenti valorem minori periculo exponamus, ac fieri potest.

2^o. quia Minister Sacramentorum, eo in ministerio, Christi personam sustinet. At verò non satis reverenter Christi personam sustinet, qui verba ejusdem Christi, id est Veritatis nomine prolata, sine necessitate exponit probabili vel probabiliori periculo falsitatis & irritationis: quemadmodum Legatus non satis reverenter sustinet personam Regis, si verba, Regis nomine prolata, sine necessitate, tali periculo exponat.

3^o. sicut merito argueretur irreverentiæ in Deum, qui in Dei cultu adhiberet ceremonias